



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epistolai tu hagiū Isidōru tu Pēlusiōtu**

**Isidorus <Pelusiota>**

**Parisiis, 1585**

Iustini ad Antoninu[m] Apologia quibusda[m] locis partim in Græco, partim  
in Latina Petronij interpretatione correcta, C. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71898)

à ceto, absorberi permisisse, vt postea præter spem omnem salutem consecutus, ipsius nomen gloriâque concelebrat. Cap. 32. Cæterum superuacua est in Mariam descensio eius. Hæc ex Theodoriti lib. i. Polymorph. sic potius verenda esse constat: Alioqui nihil erat causæ, quamobrem in Mariam descenderet. Ex his autem verbis mendosum Theodoriti codicem Græcum libro superiore cap. 2. correximus, qui pro ἐπὶ Θεοῦ, habebat, ἐπὶ τῷ Ἰω. Cap. 41. Initium capituli inciso tantummodò à præcedenti dirimendum est. Ibidem, morum prouidentiam habere, ad Græcorum imitationem dictum est, pro, morum curam gerere, hoc est, instituendis componendisque moribus operam dare.

*Iustini ad Antoninum Apologia quibusdam locis partim in Græco, partim in Latina Perionij interpretatione correctâ.*

## CAP. VI.

**I**NTER legendum quæ Iustinus Martyr in sua ad Antoninum Imperatorem Apologia pro Christianis disserit, quid obiter animaduertim, hoc capite completi libet. Non longè ab initio mendum in his verbis inesse suspicor, οὐδὲ κριστὸς, ἀλλὰ πάγει τὰ παράγμματα ἐπάγει ἀξίως, ac pro ἐπάγει, ἐπάξεν, substituendum esse. i. examinare. Pag. 136. vers. 3. non mihi dubium est, quin post δπως addenda sit particula μὴ, & vers. seq. delendum αὐτῶν. Hoc enim vult Iustinus Christianorum partes esse, tam fidem suam quàm vitæ rationē omnibus executiendam ac considerandam proponere, ne alioqui crudelitatis, quæ per ignorationem animique cæcitatem ab Ethnicis in ipsos exercetur, pœnas ipsi Deo pendant. Vers. 23. lego τοῖς ἄλλοις. 31. τέτρες. Pag. 137. vers. 12. legendum puto, ἀλλ' ἢ πάντας ἀφ' ὧν τὸς ἀσεβελγῶν καὶ ἀδικῶν. Hæc enim est Iustini sententia, non proinde Christianos omnes sceleratos habendos esse, quòd quidam tales deprehensi sint: quemadmodum nec rei omnes cõdemnari solent, propterea quòd quidam interdum sceleris conuincantur. Pag. 138. vers. 25. hæc verba, εἰ γὰρ ἀνθρωπίνῳ βασιλείᾳ προσδοκῶμεν καὶ ἠρήμεθα, ita verti debent, Si enim humanum regnum expectaremus, saltem negaremus. sc. nos Christianos esse. Nam, vt vertit Perionius, nimis obscurus est Authoris sensus. Nisi fortasse typographi vitio, in eius interpretationem particula, si, obrepit. At vers. 38. grauitè ab eo erratum est, cùm hæc verba, καὶ ἀφ' ὧν τὸ σπικεῖμεθα ἐκ πάντων κόσμου ἦσαν, ad hunc modum transtulit. Etiam si iis sepulchris quæ erecta sunt, omni ratione ornati sint. Ita enim potius vertere debebat, Saltem ob impendentia supplicia probitatem omni ratione coluissent. Non minùs autem scædè labitur vers. 40. cùm δημίον, hominum de plebe vertit, pro, carnificum. Vult enim hoc loco Iustinus, suppliciis inferendis delectari, carnificum potius esse, quàm bonorum principum. Eiusdem farinae est quod pag. seq. vers. 6. hæc verba, ἐν γὰρ τῷ πόνῳ ἀφ' ὧν πενίας ἢ πείνης, ἢ ἀδουξίας πατριῶς ὑφαιρουῦνται πάντες, ita reddit, Quemadmodum enim parentis paupertatem, mala, & dedecora omnes suscipiunt; cùm contrarium omninò velit Iustinus. Sic pag. 143. vers. 16. Liberum dispersum vertit, pro, discerptum. & vers. 18. κατηρησθῆναι, sublimes pendere, pro, inter sidera relatos esse. At vers. 23. Græci codicis errorem secutus est, cùm ita vertit, Nisi quòd hæc ita scripta sunt ad præstantiam adhortationemque eorum qui erudiuntur. Hic enim in Græco pro ἀφ' ὧν ἀπερτῆς legendum est ἀφ' ὧν ἀπερτῆς. i. corruptelam. Vers. 32. lego ἀδικῶν. Pag. 144. vers. 33. pro τῶν, Epiphanius habet γὰρ τῶν.